



# Disputatio juridica inauguralis de jurejurando

<https://hdl.handle.net/1874/345147>

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
**JURE JURANDO.**

QUAM  
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

**JACOBI VALLAN,**

M. D. Praxeos & Institut. Medicinæ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimeque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in **UTROQUE JURE** Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitime consequendis,

*Eruditorum examini subicit,*

**JOHANNES DE KOUSEMAKER.** Schoond. Fland.

*Ad diem 15. Junii hora locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, clō lbc xci.

*Nobilissimo, Amplissimo*  
ac

*Generosissimo VIRO,*

D. D.

ADRIANO van BORSSELE  
vander

H O O G H E,

Domino in Voor-houte; Illustrum &  
Præpotentium Zelandiæ Ordinum no-  
mine in Senatu supremo Hollandiæ,  
Zelandiæ, Frisiæque Occidentalis Se-  
natori, æquissimo, gravissimo; digna  
reverentia mihi semper observando,  
colendo.

*Hanc Disputationem Inauguralem;  
uti & me ipsum, devotissimo pecto-  
re, animoque humillimo*

offero & confecro

JOHANNES DE KOUSEMAKER  
AUCT. & RESP.



DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
JURE JURANDO.  
THESIS I.



Disputaturus de jurejurando, haud abs-  
re fore arbitror, ejus definitionem præ-  
mittere, quoniam ex ea, quid sit id,  
de quo disputatur, intelligitur teste  
*Cic. lib. i. de offic.* Est itaque jusju-  
randum, Divini Nominis assumptio,  
ad id, quod agitur asseriturve, con-  
firmandum. Et est vel promissorium,  
vel litis decisorium. Promissorium est, quod futura nego-  
tia concernit, ut major iis firmitas accedat. Quo modo Re-  
ges, alique imperantes, sæpe fidem de legibus regni funda-  
mentalibus servandis, promittere solent; & contra subditi  
imperantibus novis fidem & obsequium juratò promittunt,  
quod jusjurandum homagii vulgò vocant: sic vasallus, inve-  
stiendo domino, fidem & officia feudalia promittit, quod &

jusjurandum fidelitatis dicitur *l. 2. feud. t. 4.* Sic jus civile iudices & advocatos, tutores & curatores, milites & alios non nisi juratò fidem promiserint, ad functionem officiorum illorum admittit *l. 14. C. de judic. Nov. 72. cap. 8. l. 11. ff. de test. milit.* Cæterùm jusjurandum promissorium jure nostro non magis actionem producit, quàm nudum pactum, quia pro pacto cedit *l. 35. §. 1. ff. h. t. l. 95. §. 4. ff. de solut.* Nisi Jusjurandum fuerit legitimum, ut ex lege Julia & Papia, si libertus juraverit se operas, donum, aut munus patrono daturum *l. 7. §. 8. in fin. ff. de oper. libert.* Aut nisi contractui additum sit, & tunc oritur actio ex contractu *l. 1. C. si advers. vend.* Hoc, quem admodum obligationem & actionem non parit, ita nec eandem tollit *l. 35. §. 153. ff. de divers. reg. jur.* Excipio actionem furti & injuriarum, quæ, cum nudo pacto tollantur, etiam Jurejurando tolli poterunt *l. 7. §. 14. l. 17. §. 1. l. 27. §. 5. ff. de pact.*

## I I.

Litis decisorium est, quo lis deciditur *l. 1. ff. h. t.* Et hoc iterum duplex, aliud est jusjurandum in litem, quod à iudice defertur actori, ut is ex animi sententia pronuntiet, quanti litem, aut suum interesse æstimet, eo casu, quo reus non vult restituere, aut dolo fecit, quo minus restituere posset *l. 1. 2. §. 4. ff. de in lit. jurand.* Aliud decisorium speciatim dictum: Quale præstant jurantes ex delatione adversarii, vel iudicis, ad decidendam litem. Hoc triplex constituitur, voluntarium, necessarium, & judiciale.

## I I I.

Voluntarium non est, quod aliquis spontè suscipit, nam tale nullum est *l. 4. §. 1. ff. de in litem jurand.* Sed est, quod ex conventionione partium præstat *l. 28. §. 10. l. 39. l. 17. pr. ff. h. t.* Hoc etiam extra iudicium deferri potest. Et quoniam hoc jusjurandum per modum conventionis præstat, sequitur,

sequitur, quod nemo possit cogi, ut deferat vel referat vel ipse præstet *l. 17. ff. b. t.* Postquam autem semel susceptum est, præstari omnino debet, nec referri deferenti potest *l. 17. pr. ff. b. t.* Quod si semel præstitum est, non tantum speciem transactionis & autoritatem rei judicatæ *l. 2. ff. b. t.* Ut & locum solutionis continet *l. 27. ff. b. t.* Sed etiam negotium hoc jurejurando decisum nec detecto perjurio, nec ob instrumenta noviter reperta retractatur *l. 1. C. de reb. cred. l. 31. in fin. ff. b. t.* Quod ea ratione constitutum est, quia jurejurandi delatione hoc agitur, ut, si quis conditione delata jurare ausit, controversiæ, quasi ex tacita ipsorum litigatorum conventionne, decidantur, nec amplius, an debeatur, sed an juratum sit, quærat *l. 5. §. 2. ff. b. t.* Hinc est, quod reus ab hac sententia non possit appellare *l. 12. §. 3. C. de reb. cred.* Sed actori juranti actio in factum prætoriam acquiritur, ad consequendum id, quod ipse sibi deberi juravit *§. 11. Inst. de act. l. 11. in fin. ff. b. t.* Verum, quod dixi, voluntarium juramentum nec probato perjurio retractari, recipit exceptionem ex *l. ult. C. b. t.* Si quis herede deferente juraverit, legatum sibi relictum, posteaque nihil esse relictum constiterit, ab eo repeti poterit legatum; addit rationem Justinianus, nempe *ne cui ex delicto impium sibi lucrum adferre*, nostris legibus concedatur.

**I V.** *l. 12. §. 3. C. de reb. cred.* Quia illi, cui defertur, incumbit necessitas jurandi, aut habetur pro confesso (nisi posset referri) cum nempe respiceret proprium factum ejus cui delatum est *l. 11. §. 1. ff. rer. amot.* Vel si is, cui delatum est, aut tantum, aut melius, quam is, qui detulit, veritatem noverit *l. 38. pr. ff. b. t.* An autem à sententia, post hoc jusjurandum lata, appellari poterit? Distinguendum puto: si enim pars, cui Jusjurandum

dum delatum est, hoc præstitit, & sic deferens condemnatus est, vel, si, cui delatum est, retulit, & sic referens condemnatus est, crudele foret (inquit Justinianus) si vel deferens vel referens appelleret à sententia, in qua iudex ejus petitionem secutus est *l. 12. §. 3. C. de reb. cred.* Sed si pars nec detulit nec retulit Jusjurandum, sed id iusta ex causa recusavit, sicque damnata est, rectè appellat, quia tunc ratio Justiniani cessat.

V.   
 Judiciale vel generaliter sumitur, quatenus spectat iudicium, & tum præstatum à iudice se iudicaturum secundum leges: vel specialiter, quod à partibus præstatum, & est quod iudex defert in dubiis causis & inopia probationis *l. 31. ff. h. t.* De hoc Jurejurando duo notanda, primò quod non possit recusari, sed suscipiendum est, nisi tanquam confessus omni provocationis auxilio excluso, condemnari velit *l. 12. §. 1. §. 3. C. de reb. cred. junctà l. 34. §. 6. ff. h. t.* Alterum, quod hic notandum venit, est, quod hoc Jusjurandum potest retractari ob instrumenta noviter reperta *l. 31. ff. h. t.* Etiam à sententia post hoc Jusjurandum lata potest appellari *l. 31. §. l. ult. ff. h. t.* Ratio est, quia nulla illi conventio inest. Quæritur, an hoc Jusjurandum possit deferri, si per unum testem semiplenè fuerit probatum? Quod negatur, primò, quia causa dubia non est, si semiplenè, veluti per unum testem omni exceptione majorè, probatum sit, unus testis ne audiri quidem debet, tam etsi præclarè curiæ honore præfulgeat *l. 9. §. 1. C. de test.* Unus ergò testis non potest reddere causam dubiam, proindè absolvendum puto reum, si unum tantum produxerit testem actor *l. 4. C. de edend.* Secundò, quia unus testis facit defectum probationis, non inopiam, igitur vix huic Jurijurando locus est, nisi admodum probabiles sint probationes ab utraque parte. Cuiam autem deferendum

fit hoc Jusjurandum actori an reo, in iudicis est arbitrio, in spectis personarum & causæ circumstantiis, si pro actore fortior stat præsumptio, ei deferendum esse censeo, sin æquales sint probationes, reo potius deferendum videtur, quia prioriores debemus esse ad liberandum quàm ad condemnandum *l. 5. pr. ff. de pæn.*

V I.

Hæc breviter de definitione & divisionibus Jusjurandi, videndum nunc qui nam Jusjurandum deferre possint. Deferre autem omnes possunt qui ad hoc habiles sunt *l. 35. §. 1. ff. b. t.* Quales sunt domini qui alienare possunt, & omnes qui liberam administrationem rerum habent, ut tutores, curatores, procuratores generales cum libera administratione, vel speciale mandatum habentes *l. 34. §. 1. ff. b. t.* Inhabiles verò sunt, aliqui natura, aliqui lege. Naturâ prohibentur quidam propter ætatem, ut infantes *l. 1. §. 12. §. 13. ff. de oblig. & act.* Quidam propter animi vitium, ut furiosi, qui ad omnia mentis cœcitate laborant *l. 5. §. 40. ff. de reg. jur.* Lege prohibentur aliqui ob morum infamiam, ut prodigi, quibus à magistratu bonorum administratio est interdicta, *l. 35. §. 1. §. 40. ff. b. t.* Aliqui ob iudicii infirmitatem, ut pupilli qui non nisi tutore auctore Jusjurandum deferunt *l. 17. §. 1. ff. b. t.* minores verò possunt deferre Jusjurandum sine tutoris autoritate, sed si læsi sint, restituntur in integrum per *l. 9. §. 4. ff. b. t.*

V I I.

Quibus autem Jusjurandum deferatur, nihil interest, cuius vel ætatis, vel sexus, vel conditionis sint *l. 20. §. 26. pr. ff. b. t.* Etiam si liberam bonorum suorum administrationem non habeant: nam & pupillo, seruo, item filio familias, deferri potest, qui, si iuraverit, ratum erit Jusjurandum *l. 23. §. seq. ff. b. t.* Etenim, qui defert Jusjurandum.



dum, hoc modo instituit; *Si tu, inquit adversario suo, juraveris tibi deberi, solvam tibi, vel, missum te faciam:* quandò igitur ille, cui hoc modo locutus est, juravit; impleta conditione, qua se causam largiri dixit, nihil super est, quàm ut solvat, vel à lite desistat. Potest tamen recusari à pupillis; & hoc est quod dicitur in *l. 34. §. 2. ff. b. t. Pupillo Jusjurandum non defertur.* Requiritur tamen, ut ejus ætatis sit, ut possit jurare, id est, infante maior *l. ult. §. ult. ff. de lib. caus.* Infantes & infantie proximi non possunt jurare, excipiuntur quoque clerici, quos ecclesiasticis regulis omninò jurare prohibitos scribit Marcianus in *l. 25. §. 1. C. de episc. & cler.* Et per consequens iis Jusjurandum deferri non potest.

## VIII.

Specialem formam modumque jurandi non unum eundemque sed varium tum Romanis tum aliis fuisse, manifestum est. Apud Romanos verò omnium juramentorum sanctissimum erat, per jovem lapidem jurare; inde sumptum, ut quidam interpretantur, quod jurans sibi malè precabatur, si fefellisset, verbis illis solennibus: *Si sciens fallo, ita me diespiter salva urbe arceque bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem.* Quem statim, qua poterat vi, projiciebat teste *Cic. Liv. & aliis passim.* Quem admodum enim varios Deos coluerunt, quibus Numen peculiare inesse existimabant, ita quoque dum jurare vellent, ea maximè, quæ verebantur & venerabantur, invocabant, ut apud Virgil. *lib. 12. Æneid,*

*Esto nunc sol testis, & hæc mihi terra præcanti;  
Et pater omnipotens, & tu Saturnia Juno.  
Fontesque fluviosque voco, quæque ætheris alti  
Relligio, & quæ cæruleo sunt Numina ponto.*

item

item

*Audiat hæc Genitor, qui sædera fulmine sancit:  
Tango aras, mediosque ignes, & Numina testor.*

At verò nobis Christianis per solum Deum jurare licet *Deut. VI. vers. 13. Esai. LXV. vers. 16. Exod XXII. vers. 11.* Neque enim per alium jurari potest, quàm qui & omniscius & omnipotens est, ut jurantem punire possit, si sciens mentiatur. Adedque Jusjurandum per creaturas vitiosum & superstitiosum est; improbandum itaque jusjurandum *Nov. 8. in fin.* Si tamen quis superstitione ductus hoc fecerit, ejus respectu Jusjurandum debet habere suum effectum *l. 5. §. 1. ff. h. t.* Multò facilius assentiendum, simplicem adfirmationem, qua Mennonitæ utuntur, vim Jurjurandi in Judiciis habere posse. Cæterùm Christianos vel simpliciter jurare, vel erectis digitis, etiam tactis sacrosanctis Euangelii, moris fuit *Nov. 74. cap. 5. & Nov. 124. cap. 1.*

I X.

Jusjurandum fit de re ad se pertinenti, & nemo pro alio jurare cogitur suo periculo, nec etiam de facto alieno *l. 11. §. 2. ff. de act. rer. amot. & l. 9. §. 3. ff. de interrog.* Quia fieri potest, ut scientiam rei aut facti, de quo agitur, non habeat *l. 34. ff. h. t.* Dico nemo cogitur, quia si velit admittitur, ut tum juret ex sententia ejus, cujus nomine jurat. Etiam Jusjurandum procuratoris, vel defensoris, ab adversario delatum, prodest, exceptionemque parit domino *l. 9. §. 6 ff. de act. rer. amot.* Quod si absit is, qui jurare debet, evocari potest, ut intra certum tempus, à judice præfinitum, veniat, & juret *l. 12. §. 4. C. de Jurejur.* Excipiuntur egregiæ personæ, & quæ valetudine detinentur, ad has domum mitti oportet ad jurandum. *l. 15. ff. h. t.*

B

Quod

## X.

Quod res attinet, super quibus juratur, licitas & justas esse oportet, & si res jure naturali aut civili est illicita, Jusjurandum est nullius momenti *l. 5. C. de leg.* Cæterum locum habet Jusjurandum in omnibus causis civilibus, personalibus & realibus, rei persecutoriis & pœnalibus, etiam famosis *l. 9. §. 2. l. 28. §. 5. 6. §. 7. ff. b. t.* In causis matrimonialibus etiam locum habet Jusjurandum, sive à parte parti, sive à judice parti deferatur *l. 3. §. 1. ff. b. t.* In causis criminalibus non est locus Jurijurando, sive enim reo deferatur, sive accusatori, non caret ea res iniquitate. Sed & prætor in edicto, quo Jusjurandum tuetur, tantum de actione, non de accusatione, locutus est, *l. 3. ff. b. t.* Ideoque; quod Ulpianus ait *l. 6. §. 4. ff. de his qui not. infam. Innocentiam rei Jurejurando approbari,* de judicio civili intelligendum, non de criminali.

## X I.

Effectus autem Jurisjurandi generalis varius est, pro diversitate specierum, de quibus supra actum. Generaliter verò ad perjurii pœnam obligatur jurans, si pejeraverit. De hac pœna notandum, quod non sit ordinaria sed extraordinaria, quoniam perjurii non est publicum & ordinarium judicium, sed extraordinarium, cujus pœna pro diversitate circumstantiarum, nunc gravior, nunc levior est, atque hæc est mens Imperatoris Alex. in *l. 2. C. b. t.* dum inquit, *Jurisjurandi contempta religio satis Deum ultorem habet.* Hinc perjuri quandoque fustibus cæduntur *l. 13. §. ult. ff. b. t.* Infamiâ etiam & amissione dignitatum puniuntur *l. 4. 1. C. de transact. l. 17. C. de dignit.* Imò & exilio *l. ult. ff. de stellion.* Cæterum Jusjurandum habet vim probationis *l. 5. §. 2. ff. b. t.* & etiam transactionis ut supra dictum *l. 2. ff. b. t.* Imò quod majorem habeat vim

vim quàm res iudicata, ex eo patet, quod minor non restituitur adversus Jusjurandum à se præstitum *l. 1. § auth. Sacr. pub. C. si adv. vend.* Restituitur verò adversus sententiam, probata læsione *l. 4. § tot. tit C. adv. rem. jud.* Sic Jusjurandum naturalem obligationem tollit ipso jure *l. 95. §. 4. ff. de solut.* Res iudicata non æque *l. 60. ff. de cond. indeb.* Denique Jusjurandum habet solutionis & acceptilationis vim *l. 27. § 40. ff. b. t.* Quod Jusjurandum voluntarium nec perjurii prætextu possit retractari, jam supra per *l. 1. C. de reb. cred.* probavi.

XII.

Postremò de actione & exceptione, quæ ex Jurejurando scilicet voluntario oritur, paucis videndum. Est autem illa actio in factum, personalis, ut potè proficiscens ex conventionione *l. 26. §. ult. ff. b. t.* Prætoria, quia jure civili ex eo, cum ex nuda conventionione oriatur, non datur actio, iniquum autem videbatur, religionem Jurisjurandi consensu alterius præstiti, non servari *l. 25. in fin. ff. b. t.* Et lites hac ratione resuscitari: datur hæc actio illi, qui ad delationem alterius extra iudicium juravit, sibi aliquid deberi, vel rem esse suam, adversus deferentem, ad præstandum id, quod sibi deberi juravit *§. 11. Inst. de act. § l. 3. ff. b. t.* Cæterum hæc actio non tantum ex præstito, sed etiam ex remisso Jurejurando datur, remissi enim eadem vis est, quæ præstiti *l. 9 §. 1. ff. b. t.* Reo etiam, si juravit, datur exceptio, quæ est peremptoria, competens illi, qui deferente adversario extra iudicium juravit, se nihil debere, vel rem esse suam, contra eum, qui non attento Jurejurando, nihilominus agit *§. 4. Inst. de except.*

# COROLLARIA.

I.

*Inuito non datur beneficium.*

II.

*Transactio super re certâ vel judicatâ facta  
nullius est momenti.*

III.

*Impossibilis conditio adjecta in institutionibus  
& legatis pro non scriptâ habetur.*

IV.

*Eidejussor pro minore non potest in integrum  
restitui.*

F I N I S.